

Universitätsbibliothek Wuppertal

Aristotelis de arte poetica liber

Aristoteles

Lipsiae, 1913

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5505](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5505)

Aureum libellum de arte poetica ante rhetorica, utpote sexies (I 11, III 1. 2. 18) illic laudatum, in hac nova Aristotelis operum editione collocandum curavimus. Duobus libris a philosopho artem poeticam esse explicatam Diogenes Laertius V 24 memoriae prodidit, quorum alter pridem iniuria temporum intercidit, priorem grammatico nescio cui graecorum rhetorum libros uno corpore complectenti et Aristotelis rhetoricis poetica subicienti servatum debemus. Omnium autem, in quibus hic liber exaratus exstat, codicum fontem atque originem esse codicem Parisinum 1741 Leon. Spengelius primus perspexit, qua re explorata quantopere curae criticae promotae sint, vel ex Bekkeri editione academica intellegas, in qua vir doctissimus multos errores codicum interpolatorum intactos reliquit. Rei vero cumulum addidit Vahlenius codice illo Parisino diligentissime denuo excusso et librorum apographorum interpolationibus separatis. Critica subsidia Vahlenii industria comparata ita meum in usum converti, ut coniecturarum acuminibus magis quam ille ad corrupta scriptoris verba emendanda uteretur. Licet enim saepe anceps haereas, quid Aristotelis sive dicendi neglegentiae sive disserendi brevitati tribui debeat, nullis tamen grammaticorum tricis commotus sum, ut summum philosophum ob-

scure et soloece quam expedite et graece scribere maluisse putarem. Mihi quidem ipsi perpauca nec nisi pusilla quaedam perpolire contigit, sed ab aliis ingeniose inventa et feliciter emendata recipere et sine ulla cavillatione comprobare non ultimum hoc praesertim tempore editoris officium esse existimavimus. Neque codicum sordibus textum defoedari, ingenii lumina in adnotationibus delitescere volui, praesertim cum ea esset forma huius editionis, ut caveri posset, ne quis pro nummis lupinos sibi commodari putaret. Verba igitur falso codici archetypo illata uncinis biangulis eicienda, vitiose omissa unangulis adicienda significavimus et si qua menda librorum coniecturis virorum doctorum recte sublata esse videbantur, in apparatu critico quid quoque loco in codice archetypo exaratum esset breviter et succincte adnotavimus. Libri autem archetypi errores codicibus apographis quot et quibus correcti sint, viri docti quis primus locum corruptum tentaverit quis emendationem perfecerit, quae quisque fidenter statuerit quae dubitanter proposuerit posteave improbaverit, haec et similia qui scire velit, is adeat praeter editionem Bekkeri academicam editiones alteras Vahlenii et Susemihlii.

Magis vero quam verborum corruptelae in hoc libro offensioni sunt ordo disputationis haud raro turbatus, res quas quam maxime explicari desideres silentio praetermissae, varia denique singularum partium elocutio. Ut enim nonnullae partes, velut cap. XLIII, dilucide expositae et ad umbilicum prorsus adductae sunt, ita aliae magis leviter adumbratae quam diligenter elaboratae esse videntur. Etiam si autem hae quaestiones minus editori quam interpreti curae esse debeant, tamen editori quoque quaerendum fuit, num ordine paragraphorum mutato, lacunae signis interpositis, variis denique typosetarum adminiculis lectio libelli expediri possit. Atque lacunarum quidem si-

gnis, levissimo criticorum refugio, nusquam usus sum nisi lectore in adnotationibus monito, quae fere res lacuna haustae esse viderentur. Ad transpositionum vero audaciam non confugimus, nisi quo loco transpositione facta genuinus disputationis ordo certe restitui poterat. Unde Heinsio Spengelio aliis cap. XV post cap. XVIII transponentibus oboedire non ausi sumus, quandoquidem ut scriptorem post disceptationem de fabula eiusque partibus finitam de moribus disserere coepisse par fuit, ita in capp. XVII et XVIII quaestiones nonnullae moventur, quae ne ad fabulam quidem apte referuntur. Qua de causa aliam, quae rerum turbae explicarentur, viam ineundam esse putavimus. Praeterquam enim quod in libro procul dubio assidue lectitato nonnullae explicationes a grammaticis et philosophis adiectae esse videntur, quae uncinis a scriptoris verbis separanda curavimus, Aristoteles quoque ipse ita disputationem instituit, ut postquam rei cuiusque capita proposuisset tamquam in excursu alia subiceret, quibus partim res antea significatas accuratius excuteret, partim novas quaestiones tenui filo cum summa disputationis cohaerentes explicare conaretur. Idem, qua erat ingenii felicitate et indefesso nova inveniendi et obscura retractandi studio, in iis, quae antequam ad rhetorica explicanda transiret de poetica arte conscripserat, adeo non acquievisse videtur, ut nova subinde in margine adiceret. Haec autem supplementa cum a scriptore ipso leviter magis adlita quam prioris editionis verbis adcurate intexta fuerint, peius etiam ab iis qui post philosophi mortem libros eius divulgaverunt habita sunt. Neque enim solum compages conglomerandi cura eos supersedissee sentio sed etiam festinanti opera eo negligentiae processisse, ut nonnulla falso loco interponerent. Inde turbas huius libri maiorem partem originem cepisse mihi persuasum est, sed cum eas penitus remove-

difficillimum sit, religiosi editoris officium magis facturus mihi videbar, si ulcera significassem potius quam sanare tentavissem. Itaque stellulis adpositis eas libri particulas indicavimus, quae cum secundis curis ab Aristotele adiectae essent parum apte cum reliqua parte libri connexae esse viderentur.

Monachii idibus Martiis a. MDCCCLXXVIII.

W. Christ.

Rel. 1032a. 48. *noy'as q. 20i 2xry q' 20i ovichy
q' 20i 2xry 2a.*

1.
2. 3.

20i 2xry Reprod. 2xry 2a. 2xry

2xry 2a. 2xry 2a. 2xry

2xry 2a. 2xry 2a. 2xry

2xry 2a. 2xry 2a. 2xry

2xry : 2xry 2a.
2xry 2a. 2xry 2a.
2xry 2a. 2xry 2a.